

à literali etiam & propriissimá verborum intelligentiâ tunc recedendum esse; sive quidem improprietas illam *in voce* EST ponas, sive *in nomine extremi* alicujus.

Quanquam, si extremum illud quod de altero sub respectu certo enunciatur, PRÆDICATI voce intelligas; illud autem *de quo enunciatur*, voce SUBJECTI: quicquid præterea ad denotandam *relationem inter extrema* ponitur, illud utique ad COPULÆ seu vinculi rationem propriè pertinebit. Unde & convenienter dici poterit; ubi extrema connectuntur in casu recto, vocem EST propriè quidem intelligi, quoties identitas propriè dicta, hoc est identitas essentiæ significatur: quoties autem identitas minus propriè dicta significatur, puta, per similitudinem, vel æquivalentiam vel quamvis aliam relationem, toties vocem EST quoque